



Dissertatio juridica de electione rei conventi ex enormi laesione

<https://hdl.handle.net/1874/347217>

4.

D I S S E R T A T I O J U R I D I C A
D E

Electione rei conventi ex
enormi læsione.

Q V A M
DIVINO FAVENTE NUMINE

P R E S I D E

Clarissimo Consultissimoque VIRO

D. HENRICO COCCEJO, JC.

Juris Publici Legumque Romanarum Professore in
Trajectinâ Academiâ Ordinario,

Publicè defendere conabitur

JOAN. ENG. VAN GELDER, Borculoâ-Gelrus. Auct.

Ad diem 24. Aprilis, horis locoque solis.

Ante & post Meridiem.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc loc LXXXIX.

Amplissimo Spectatissimoque VIRO,

D. JOANNI ENGELBERTO
à GELDER, J. U. D. Consiliario Illustris-
simi Comitis à Limburch, Bronckhorst, &
Styrum &c. Judici in Vaerwerck, Consuli
Civitatis Borculoensis gravissimo, dignissimo,
Parenti indulgentissimo, filiali amore inæter-
num prosequendo, colendo.

U T E T

Celeberrimis Consultissimisque VIRIS,

D. LUCÆ vande POLL, { J. U. Doctoribus,
D. JOANNI van MUYDEN, { ejusdemque Facul-
tatis in celeberrimâ Trajectinâ Academiâ Professori-
bus Ordinariis, Præceptoribus meis facillimis, mihi-
que fayentissimis.

N E C N O N

Præclaro Doctissimoque Viro Juveni

D. HENRICO WALLE, Jur. Candidato do-
ctissimo, dignissimo, amico integerrimo, fidelissi-
mo.

Hanc dissertationem Juridicam

Dat, dicat, dedicat

JOAN. ENG. van GELDER, Au&. & Resp.

S E C T I O I.

De Electione ipsa rei conventi ex enormi læsione.

§. 1.



Tsi omne jus civile à Romanis Prudentibus præclarè constitutum sit, ut meritò Luc. Crassus Consul Romanus glorietur, tum id facillimè intelligi, si quis cum Lycurgo, Dracone, & Solone leges Romanas conferre voluerit; incredibile enim esse, quam sit omne jus civile præter Romanum inconditum & penè ridiculum: prout differit ille apud Cicer. lib. 1. de Orat. nusquam tamen præclarior aut concinnius illud apparet, quām cùm de tramite Juris naturalis deflectere videtur. Accidit id quidem sèpiusculè, at rarissimè nisi magna utilitate vel necessitate urgente; nunquam nisi ipsius Naturæ permisso; ubique vero tantà prudentiâ, solertique æquitatis moderatione, ut nunquam pressius Naturæ vestigia sequi videatur, quām cùm deserit; nunquam magis integrè naturali rationi insistere, quām cùm suam illi subrogat. Nec invitâ equidem Naturâ, quæ Magistratum & legum ferendi potestatem, quæ ἀρχιτεκτονία ac principalis in civitate Aristoteli jure dicitur, in id ipsum constituit, ut naturæ legem vel deficientem expletat, vel fluctuantem constituat, &c, quacumque permittitur ad reip. salutem componat.

§. 2. Hanc ignobile ejus rei specimen exhibetur ubi de errore circa contractus agitur: si enim naturæ ductum sequimus, nulla conventio consistere poterit, in quam error qualiscumque (præterquam nominis aut syllabæ l. 9. §. 1. de Contr. empt. l. 54. in princ. de manum. test.) incidit; sed, nisi negotium consensusque ita dividuus sit, ut utile ab inutili commode separari possit, tota conventio necessariò de-

ficeret. Nam, cùm universa conventionis ratio consensu constet, *l. 1. §. 2. §. 3. de Paet. l. 3. in princ. de Poll.* non potest, ubi erratur, consensum videri, *arg. l. 15. de jurisd. l. 20. de Aq. & aq. pluv. l. 116. §. fin. de Reg. Jur. l. 4. §. fin.* Si quis cauit, aut sine consensu conventio; quæ proinde, si pro parte, quam error occupavit, non potest, tota concidat necesse est. Quod Seneca sensit, qui *lib. 4. de Benef. c. 39.* statuit, tacitam his negotiis subesse exceptionem, si haec ita erant: Deinde Eadem, inquit, mihi omnia presta & idem sum. Quin Plato in numero legum suarum posuit; Ἐὰν οὐταν τις οἰδιώτης, ἀγνωστὸν εἴρει. Si ignarus ignaro (vendidit) restitutio- nem fieri: Et mox. Οὐ δέ ὅφλον τέλος τιμὴν απλῆν αποτινέτω, reus verò simplicem valorem restituio. *lib. 11. de legib.* Atque hinc Anonymus ille scriptor vitæ Isid. Philos. quem Grotius de *J. B. & P. l. 2. c. 12. in fin.* è Bibliothecâ Photii allegat, minoris æquo emere aut pluris vendere dicit *ad-ūtias unde τε νίμις ἀφεμέτω, injuriam lege permīssam.*

§. 3. Fatendum equidem, hac ratione sæpe laesum iri venditorem innocentem, si multo pòst tempore quilibet pretii error negotium infringeret, cùm jam prætermisæ conditiones aliæ, consumta pecunia, res deterior, quin fortè & mutata rerum precia. Verùm non deficiunt ipsi quoque remedia naturæ. Et primum quidem integrum ei est, supplendo quod deest evitare soluendi negotii necessitatem: cessat enim hoc ipso error in pretio, si quatenus à vero aberratum est expletur; quo facto sua jam conventioni planè constat ratio, æquato omnino consensu emendatoque errore; ut jam purgato omni vitio fides negotii nulla ratione convelli amplius possit.

§. 4. Deinde; damna quod attinet quæ venditor fortè vel etiam emptor hinc sensit, certa est definitio naturæ, ut is ea præstet, cuius culpæ data sint, sive error emptoris in culpm abeat, sive venditori id magis imputandum sit: immota enim naturæ & utriusque juris regula est, ut suæ quisque culpæ factique damna ferat, non aliis. *l. 1. in pr. de Alien. jud. mut. l. 155. in princ. de Reg. Jur. c. 27. de Elect. in 6. &c.* Quam rationem Plato quoque in legibus suis d. *lib. 11.* sequitur, et si multa quæ arbitrii non naturæ sunt, immisceat.

§. 5. Hæc definitio juris naturalis satis quidem luculenta ac solida est , at non perinde commoda & conveniens vitæ civili. Quæ enim hinc exsureret litium seges? Quid occultius & probatu decisuque difficilius, quam hæc : Num emtor sciverit pretium nec ne? Num, si erravit , iste error in culpam cadat ? In quod pretium consensuri fuissent si neuter errasset ? an & quale utrinque esset damnum? aliaque quibus nulla feracior foret inextricabilium litium materia. Præterea semper rescindendi negotii metus , nec unquam ullius obligationis fideique propè foret securitas: cùm interesset tamen humanæ societatis, ne contractus aded frequentes , utiles ac necessarii in vita civili temerè eluderentur.

§. 6. Pulcherrima itaque est constitutio Juris Civilis , quâ hæc omnia ferè carentur , & res tamen ita temperatur , ut neutra pars conqueri de injuria possit. Sanctum nimurum est, ne error, modò in rem consensum sit , l. 22. de verb. Obl. l. 34. in princ. de Acq. poss. &c. s. pectorum fidem solveret, sed errans in rei valore ac bonitate suæ facilitati negligentiaque id expensum ferret , nisi vel dolo adversarii deceptus d. l. 22. r. t. de Dol. mal. vel ultra dimidium veri pretii lœsus esset. l. 2. C. de Rescind. vend. Quid si ergo error adeò probabilis sit , ut in culpam non cadat , nec imputari erranti possit , ut si vitium in re latiter? Fuisse quidem id damnum emtoris etiam innocentis videtur , & deerat illud adhuc constitutioni civili. Verùm supplevit id ædilitium ædictum datà emtori actione redhibitoria, si latuisse vitium in re appareat l. 55. de Ædil. edit. Ita ergo magnâ prudentiâ prospectum est cùm utilitati publicæ , ne obtentu errorum fides data facilè ac promiscue laceraretur; tum partibus , adeò ut neutra cum hac constitutione magis, quâcum ipsa ratione naturali queri jure possit, dum errans suæ tantum culpæ damna luit; salvo cetera eo jure naturali de quo diximus §. 2. à quo ita lege civili recessum est , ut non minor in hac quam in illo æquitas videatur, major etiam utilitas.

§. 7. Quin & illud naturæ jus quo reo convento facultatem supplendi damni sustinendique negotii competere diximus. sup. §. 3. salvum fecit constitutio civilis in d. l. 2. C. de

*resc. vend. emptorique concessit potestatem salvō negotio sup-
plendi , si id elegerit quod deest justo pretio d. l. 2. quæ
proinde facultas utriusque juris consensu ac auctoritate con-
stituta est.*

§. 8. De hac facultate solvendi id quod deest acerrimè
disputant Interpp. An ex obligatione sit, an vero ex lege? seu,
ut loquuntur, An sit in obligatione, an verò tantum in so-
lutione? Alii enim statuunt obligationem alternam esse, &
læso actionem alternatim competere , aut ad rescindendum
contractum, aut ad supplendum quod deest : atque id ferè
post Abbatem Panormit : *in c. cum dilecti. x. de Empt. & vend.*
sequuntur Canonistæ *in d. c.* Alii autem actionem tantum dari
docent ad rescindendum negotium, & repetendum quod da-
tum est ; facultatem autem supplendi ex lege seu in solutione
tantum esse. Ea est sententia Bart. *in d. l. 2.* & communius re-
cepta teste Cozarr. 2. *Var. ves. 4. in fin.*, quam sequimur & cùm
reliqua omnia inde pendeant, sic demonstramus.

§. 9. I. Quia in obligatione ex empto aliud esset pretium,
quam de quo in contractu emptionis convenit. v. g. si res,
quæ 200 aureorum est , emta sit 90 aureis , in actione ex
emto esset pretium 200 , cùm nulla emtio fuerit contracta
nisi in 90 aureos. Non potest autem vendor ex contractu
v. g. emptionis aliud pretium petere , quam de quo convenit :
ejus enim pretii definitio substantiam emptionis constituit, *princ.*
inst. de Empt. & Vend. l. 2. §. fin. de Contr. empt. nec aliud pretium
nisi alia emptione peti potest. Cum igitur vendor læsus in me-
morato exemplo petit, ut vel res sibi restituatur , vel precium
usque ad 200 aureos suppleatur , falsissimum est , hoc precium
200 aureorum esse in obligatione emptionis, quæ non nisi in
90 aureos contracta est. Tantum itaque est à lege seu in
solutione. II. In hoc remedio pars læsa allegat errore suo se
læsum esse enormiter ; fundaturque tota ipsius intentio *sup. §. 2.*
atque actio in eo , quod putaverit rem fuisse minoris vel majoris
pretii, eoque deceptus sit, neque adeò consenserit. Ex hac autem
allegatione seu intentione tantum sequitur , rescindendum esse
negotium, in quo consensus deficit , aut error seu deceptio
contigit : propter defectum enim consensus , errorem , cir-
cum-

cumventionemque rescinditur atque infringitur negocium, & agitur ad recedendum à negotio. Hoc solum itaque est inactione, non petitio novi pretii, quæ ex consensu, non verò ex defectu consensus, errore aut circumventione, quæ sola hac actione allegantur, nasci potest. III. Quod in obligatione est, ad id actor agit, ejus enim est jus omne obligationis, & quicquid ex eâ juris est, id actori competit. Sed in l. 2. C. de resc. vend. reo facultas supplendi precii ejusque electio datur, quæ proinde jus rei est, non actoris. Non ergo ea est in obligatione. Secus ac in alterna obligatione, v.g. si quis stipuletur domum aut 100. & reus promittat: in qua non sola continetur rei electio, quæ ex jure ipsi competit, sed & promissio, ex qua actio & obligatio actori nascitur. Idque IV. manifestissimum sit ex l. 6. §. 1. de Re Judic. ubi luculententer id in exemplo noxæ deditonis ostenditur: si enim servus injuriâ damnum dederit, actio ex lege Aquilia tantum est ad damnum restituendum, quanti pluris in anno vel mensa fuit: id enim continetur intentione actionis. l. 2. princ. l. 21. §. 1. l. 13. §. 3. l. 27. §. 5. & seqq. Adl. Aquil. Hoc damnum igitur tantum est in obligatione, noxæ dedendi facultas tantum ex lege seu in solutione. Haut abs re videtur verba legis evolvere. Decem, ait, aut noxæ dedere condemnatus, Judicati in decem teneatur; facultatem enim noxæ dedenda ex lege accipit. Et mox: Judicium solius noxæ deditonis nullum est, sed pecuniariam condemnationem (quæ damnum ipsum aestimatur) sequitur, & ideo judicati in decem agitur; his enim solis condemnatus, noxæ deditio in solutione est: quæ à lege tribuitur d. l. 6. §. 1. Quibus clarissimè demonstratur, omnem facultatem, quæ reo à lege tribuitur, uti facultas supplendi quod deest ex d. l. 2. perinde ac noxæ dedendi ex L. Aquilia, in solutione esse non obligatione verò tum demum. In obligatione esse, quando singula per se in obligationem deducta sunt, ut si quis sit stipulatus decem aut noxæ dedere, d. l. 6. §. 1. vers. aris. sicut rem reddere aut pretium supplere: ut singula separatim in actione sint. d. l. 6. §. 1. vers. at judicium. Et cum hæ facultas solvendi jus rei sit ut dictum ac reo tribuatur, non potest minor pugna esse inter hæc duo, jus rei in obligatio-

ne

ne actoris esse; quām si diceretur, exceptiones rei in actione esse, quæ suā naturā actiones excludunt l. 2. princ. l. 22. de Except. l. 8. §. 1. de verb. sign. Quin VI. ostendit quoque ratio naturalis sup. §. 7. adducta, totam hanc facultatem rei ex beneficio legis & naturae quoque jure ita reo permissam esse, ut hac ratione evitare actionem possit. Ea vero quæ ita ex lege reo data sunt, in solutione esse, expressum est in d. l. 6. §. 1. de Re Jud. l. 1. de Nox. act. Atque hæc communis receptaque sententia est teste Gutierrez. lib. 2. Pratt. quest. 136. idque receptissimum esse ex Molin. tradit Pinell. in d. l. 2. C. de resc. vend. part. 2. cap. 1. n. 26.

S E C T I O I I.

De effectibus hujus juris.

§. 1. **N**on desunt qui existimant, non magni momenti, si effectus spectetur, esse, an utrumque in obligatione esse dicatur, an supplementum ejus quod deest in solutione sive ex lege: quod probari miramur ab Ampl. olim Bökelm. ad ff. de Resc. vend. §. 3. quest. 4. Quām insignes enim hujus rei effectus sint, & quām graves inde lites componi possint, ex paucis, quæ sequuntur, patebit.

§. 2. Ut taceamus, actorem tantum ad rescindendum negotium agere posse, nec ideo plus causa petiturum; d. l. 6. §. 1. de Re Jud. cùm, si alterna obligatio esset, unum petendo plus causā peteret §. si quis agens 33. vers. *Huic autem Inst. de Action.* quæ res nec hodie effectibus suis caret, DD. in d. l. alii quoque ejus distinctionis egregii effectus sunt.

§. 3. Inde enim est quod emptor non possit se redhibendæ rei necessitatibus eximere, nisi offerendo re ipsa supplementum precii; quia non nisi solvendo ac præstando id quod in solutione est, ab actione liberatur. l. 26. in fin. de Nox. act. Unde, si emptor rem distrahere velit, ut ex pretio ejus supplere, quod deest, possit, non auditur: quia venditor, quoad nondum obla-

oblatum est reliquum pretii, actionem ad rem istam resciſſo negotio petendam retinet, & jus adeo in eam quæſitum habet, nec in arbitrio rei est, id ipsi invito intervertere: cum & variè fieri possit, ne premium post distractionem p̄ſtetur, vel ne ſufficiat, aut ut alia cauſa fit, quæ ejus ſolutionem vel tardet vel impedit vel diſſiciliorem reddat. Atque ita judicatum refert Papon. de Arrest. lib. 16. tit. 3. §. 9.

§. 4. Inde quoque eſt, quod condamnatio non poſſit fieri niſi in id ſolum, quod in obligatione eſt; per d. l. 6. §. 1. verb. *judicari in decem tenetur*. & verb. & ideo *judicati in decem agitur*; his enim ſolis condemnatur. Neque tamen admitti poſteſt, quod Bacchovius vol. 2. disp. 2. tkeſ. 10. lit. 13. adverſus Treutlerum afferit, *elec̄tionem rei ex ratione juris*, ſi quidem premium tantum in ſolutione eſt, nunquam ultra condemnationem, imo nec uſque ad eam, ſed tantum uſque ad litis conreſtationem durare; quoniam ſuper quo lis eſt coniectata, id etiam in condemnationem deducetur. Nam & rem iſam & rationem refellit d. l. 6. §. 1. quæ ait, *Judicari in decem agi atque his ſolis condemnari, noxa deditioñem in ſolutione eſſe, quæ à lege tribuitur*. Supereſt ergo in actione judicati quoque, quæ ex condenmatione naſcitur, facultas ſolvendi ejus, quod ex lege eſt: ut adeo valde incongrua ſit ratio illa, quod ſupplementum in condenmationem deduci poſt litem confeſtatam non poſſit, cum illud nec in obligatione nec in condenmatione unquam ſit, ſed ipſo ſtuente Bacchovio, ſemper ex lege. Durat itaque electio iſta uſque ad executionem; in alterna autem obligatione perpetua eſt.

§. 5. Præcipue verò ſpectatur ejus effectus in ſpecie rei apud emptorem peremptæ. Quæſtio enim anceps in primis eſt, & inter DD. variè agitata; An, ſi res apud emtorem pereat, adhuc locus ſit remedio l. 2. C. de Rēſcind. vend.

§. 6. Quæ in re Not. 1. Periculum rei ejus eſſe qui jus vel actionem habebat ad rem confeſtantam. l. 14. §. 1. Depos. Qui enim jus circa rem illam non habet, jus, quod non eſt, amittere cum eā nequit. l. 83. l. 208. de Reg. Jur. Inde tralatitium illud, quod debitor rei interitu liberetur. l. 33. l. 37. de verb. obl. &c. Quæ & cauſa eſt, cur emtoris etiam ante traditio-

nem sit periculum , cùm ipse sit qui actionem habet ad rem consequendam . l.8. in princ. de Per. & comm. Atque hæc omnia quoque naturali rationi conveniunt.

§. 7. Not. 2. Cùm ex d. l. 2. in obligatione sit , ut negotium ex læsione enormi rescindatur , ceu Sect. 1. §. ult. ostensum ; sequitur , si venditor læsus sit , actione id contineri , ut rem rescisso negotio restitutoque pretio is recipiat ; emtorem verò supplere pretium posse : si emtor , ut is rescisso negotio & restituta re pretium recipiat , venditorem verò superfluum restituere posse.

§. 8. His præmissis concluditur 1. Si venditor læsus sit , non posse cum , re apud emptorem (nendum apud se ante traditionem , Pinell. d. c. 1. in fin.) casu perditā , agere , ne ad supplementum quidem ; venditor enim vi obligationis tantum agit ad rem repetendam , §. prac. quæ casu periit , eoque & actio extincta & emtor liberatus fuit sup. §. 6. Supplementum verò pretii non est in actione , sed solutione , adeoque ejus solius judicium nullum est nulla actio . per text. expr. in d. l. 6. §. 1. de Re Jud. verb. at judicium solius noxae deditioonis nullum est. Et cùm hoc supplementum in solâ electione rei conventi sit d. l. 2. actio autem ad rem petendam cum re interierit , §. 6. nulla actio est , quæ reus adigi ad præstandum illud possit . Nec potest ille præstanto supplemento liberatus vide ri , qui jam ante rei interitu liberatus est : nec libertatio ulla esse , cùm nihil in obligatione fuit ; non res , quia periit ; non supplementum , quia ex lege tantum est . Sect. 1. §. fin. Denique probatur idem ex l. 39. §. fin. l. 42. §. 1. l. 26. §. 4. de Nox. act. arg. l. 12. b. 1. de Fur. Dot. Atque hanc sententiam sequuntur communissimè DD. apud Gutierr. d. q. 136. Gomez. 2. var. resol. c. 1. n. 2. Covarruv. 1. varr. ref. c. 4. n. fin. qui omnes receptam & in Hispaniâ speciali lege confirmatam testantur . Pinell. d. l. 2. p. 2. c. 1. n. 36. & 37. &c. Ab eâ autem inter alios recessit celeberrimus Germaniæ JCtus W. A. Lauterbachius , Ducas tus Wurtenbergensis nuper Director , ad tit. ff. de Ref. vend. p. 343. ex falso illo principio , quod alternativa sit obligatio , in qua unâ re pereemptâ altera adhuc debetur : quod abunde refutatum est Sect. 1. §. fin.

§. 9.

§. 9. Si vero rem alienaverit vel vendiderit emtor, an venditori supereft remedium d. l. 2. aduersus primum emptorem, qui pretium habet? Evidem si res nondum periiit, primum emtorem, et si bona fide, quin ut verus dominus ritè alienaverit, conveniri posse ex communi DD. sententia admittimus, ne suo facto, et si alia nulla ejus culpa sit, alii noceat; contra l. 155. de Reg. Jur. l. 25. §. 2. inf. ad SCr. Treb. Quin id amplius quod minus statuamus nihil obstat videmus, quod Jūdex resciffo ex d. l. 2. contractu & alienatione, dominium ipsum, eoque rei vindicationem, contra possessorem restituere possit, perinde ac si alienata non esset: cūm etiam contra Recentiores ex communi veterum, receptaque in foro, omninoque verissima sententia, in Prætoriis quoque remedii, et si contra jus civile dantur, id fiat. §. 6. & ibi DD. Inst. de Action. ut ita integrum sit venditori actione ex vendito vel petere ipsam restitutionem rei ab emtore, cūm actiones b. f. ad id quoque dentur arg. l. 6. §. 1. de Contrab. emt. l. 11. §. 5. de Act. emt. l. 79. Pro soc. vel resciffo saltēm contractu reddi actionem in rem contra possessorem.

§. 10. At si res periiit casu apud secundum emtorem, omnis actio pro re certo jure interiit, nec, quod non est, amplius deberi aut vindicari per naturam potest. sup. §. 6. Nec omnino vera est DD. ratio, quod cūm emtor precium habeat, illud pro re sit. Id enim in rebus singularibus pernegamus, notissimaque adversatur regula: Quod res sub pretio non contineatur. l. 88. de V. S. Item illa, quod speciei interitu debitor libetur sup. §. 6. In alteram quidem sententiam tanta est DD. propensio, ut impetu quasi quodam in eam ferri videantur, saltēm si prior emtor plus pretii accepit à suo emtore, quam dedit venditori: ut videre est apud Covarruv. 2. var. ref. 4. n. 14. Pinell. d. l. 2. part. 2. c. 1. n. 38. Fachin. 2. Contr. 18. Gutierez. lib. 2. præt. quaest. 136. Zoes. ff. de Rescind. vend. n. 30. Lauterbach. ff. eod. tit. pag. 343. Ampliss. Dn. Struv. Exerc. jur. Civ. 23. thes. 92. in fin. & quos illi recensent. Sed expensis juris principiis impetrare à me nequeo, ut de eorum veritate quicquam concedam.

§. 11. Concluditur II. si res post moram emtoris periiit,

venditori dandum omnino remedium *d. l. 2.* ad rem rescissa venditione repetendam , ac si adhuc extaret : cùm mora impedit , quò minus debitor rei interitu liberetur , perpetuat à in eum actione *l. 5. de Reb. cred. l. 47. §. fin. de legat. 1. &c.*

§. 12. Concluditur III. si verò citra moram res culpà emtoris perierit ante litis contestationem , extincta est actio venditoris : quia culpæ nemo reus est , qui re tanquam sua & ut Dominus utitur *l. 25. §. n. Her. petit. arg. l. 21. C. mandat.* nisi dolo quid fecerit , qui pro possessione est. *l. 131. de Reg. Jur. c. 36. eod. in 6. l. 18. §. 1. Sol. mair.* Sublatà itaque rei interitu actione venditoris , ne quidem supplementum pretii is petere potest. *Seit. 1. §. 9.* Atque hactenus rectè defenditur sententia Ampl. D. Struvii *d. th. 92.* & allegati ab eo Scotani. Post litis contestationem verò securus est : durat enim actio , quasi mora quadam jam contracta , nec emtor à culpa , postquam ab eo jam res petita est , excusatur. *l. 1. §. 13. §. 16. si quadr. paup. arg. l. 21. princ. l. 16. §. 4. de Nox. act. arg. l. 33. l. 36. §. 1. de Rei vind.* Hactenus de casu , quo venditore lœso res periit.

§. 13. Concluditur IV. si emtore lœso res casu periit , non tollitur emtori hoc remedium , adeoque nec venditori arbitrium residui pretii restituendi. A parte enim emtoris remedium hoc datur ad premium rescisso contractu repetendum , idque solum in actione est ; arbitrium autem , restituendi , quod ultra verum premium venditor accepit , tantum in solutione. *sup. §. 7.* Id verò premium quod in actione est , cùm non perierit , nec , ut genus & quantitas , perire possit , *l. 30. §. 5. ad l. Falc. arg. §. 2. Quib. mod. re contr. obl. l. 11. C. si certum pet. &c.* sequitur salvam esse emtori actionem ad repetendum rescissâ emptione premium , et si res , quæ in actione non est , perierit. Atque hæc conclusio propè communis omnium est , et si contrarium in Hispania receptum esse testentur JCti Hispani *sup. §. 8. adducti :* quod & verius esse asserit Gomez *d.l. notatus à Pinello. d.c. 1. n. 39.* Venditori ergo integrum quoque erit , salvo contractu offerre id quod plus justo pretio accepit *d. §. 7. sup.*

§. 14.

§. 14. Verum hæc scrupulo non carent; & solidum pretium restituendum videtur: Dubitandi enim occasionem præberet, quod rescissio contractu res vendita venditori, qui eam recipere debuit, perisse videatur, non emptori; atque hic adeo removeri ab actione non possit sola oblatione ejus quod ultra justum pretium datum est. *sup. §. 6.* & cessare videtur hic ratio illa naturalis, de qua dictum *Sett. I. §. 3.* Verum non recedimus tamen à communi sententia, quippe venditor, cui reus conventus duplex habet beneficium, sc. ut vel rem recipiat vel verum premium, restituto quod nimium fuit, retineat. Alterum itaque si tollatur rei interitu, manet alterum reo, cuius electio est, salvum. Emotor igitur agit equidem ad totum premium rescissio contractu recipiendum; sed hanc actionem evitat venditor offerendo quod plus æquo accepit.

§. 15. E contrario emtori deneganda videtur actio, cuius conditionem ipse implere non potest, cum non possit rem restituere, quæ quasi conditio actioni inest & rescissori remedi naturæ continetur. Sed nec id movet, cum re casu perempta extinguitur jus omne, quod sive emptor sive venditor circa illam rem habuit. *sup. §. 6.* Non potest itaque venditor contendere, ut sibi præstetur conditio quæ mero casu præstari, aut ideo emptori quicquam imputari nequit.

§. 16. Concluditur V. Quod, et si emtor rem alienaverit, non tamen cesseret actio ad premium repetendum, quia in personam est. Verum cum suo facto emtor rem restituere venditori, atque ita conditionem actionis suæ præstare non posset; removere eum venditor poterit, donec rem præstet: *per l. 91. §. 1. de verb. obl.* Quod proinde secus est, si post alienationem bona fide factam interierit, atque ita præstari conditio *d. l. 2.* casu non possit. *§. præc.*

§. 17. Horum omnium itaque plenariè sibi constat atque cohæret ratio. Quantopere vero hac in re varientur. *DD.* & quam parum sibi constent, ut alia præteream, vel ex celeberrimo illo, quem jam laudavimus, Germaniæ JCto, Lauterbachio appetat; qui posito, primùm contra communem receptionemque sententiam, certamque juris rationem, errore principio, quod obligatio rei ex *d. l. 2.* sit alterna,

vel ad restituendam, quod accepit, vel ad supplendum, quod
deest, & utrumque æqualiter in obligatione, deinde paucis
lineis plura perperam committit. Ita enim in specie lis ven-
ditoris (1) reperditæ illi tamen actionem concedit contra tradi-
ta §. 8. (2) comparat rei interitum & simplicem alienationem
contra §. 9. (3) confundit inter se moram & culpam contra
§. 11. & 12. Et (4) utramque cum casu contra d. §. 12. In
specie vero læsi emptoris tradit (5) quid petere à venditore
possit superfluum pretium, atque hic id solvere teneatur, con-
tra §. 14. (6) confundit casum rei extantis & peremptæ con-
tra §. 16. (7) æquiparat casum læsi emptoris & venditoris,
quorum diversissimam conditionem esse ostensum est. Quo
tamen summi viri laudibus nihil detractum volumus.

§. 18. Plura tractanda restant ; sed in pauca contrahemus.
Q. 1. An emtor restituere debeat rem cum fructibus ? Aff.
de jure *contra DD. comm.* & Pinell. d. l. 2. c. 4. per tor. secus in
praxi. Q. 2. An vendor premium cum usuris ? Neg. nisi
casus perceperit. contr. Covar. 2. V. R. 3. n. 9. & ib. all. Q. 3.
An pignus ab emtore constitutum resolvatur ? Neg. l. 48. §. 18.
de Ædil. ed. cum Lauterb. & Zoes. n. 33. de Rescīm. vend. Scotan.
Disp. 37. th. 28. Q. 4. An idem utrinque premium spectetur ?
Affir. sc. verum, quod fuit tempore contractus. contr. Zoes.
d. l. n. 29. Quæ, ne nimium excrescat disputatio , prolixius
jam non persequimur.



C O-

COROLLARIA.

annis de iudicis repertis

I.

Dicitur Antur actiones suâ naturâ mixtae.

II.

Sponsalia propter religionis diversitatem, quæ inter
contrahentes deprehenditur, dissolvi nequeunt
moribus nostris.

III.

Non solum Reo, sed & Actori licitum est de cri-
mine capitali transigere.

IV.

Idque non solum ante verum etiam post institutam
accusationem.

V.

Vestimentorum non quasi, sed verus est ususfru-
ctus.

VI.

Si fructuarius usumfr. cedat alii, consolidatur usus-
fr. cum proprietate.

Prin-

TRAJECTI ad Rhenum,

Ex Francisco Hulka, Academia
Typographia, die 1. Iunij.

COROLLARIA

Princeps legibus est solutus.

VIII.

Negotiorum gestor tenetur de culpā levissimā.

IX.

Quod ludo amissum est, ad id petendum nulla competit actio, quinimo si solutum sit etiam repeti potest.

X.

Uxor est Domina dotis.

XI.

Querela inofficioi testamenti non est ipsa hæreditatis petitio, sed actio præparatoria.

XII.

Corollaria dissertationi præcedenti à nobis habitæ annexa hic repetita volumus.

F I N I S.